



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 31. Impressio in urbem a Cathol. incassum facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

Sæc. XVII. tem obsidentium consilio Oppidani die
A. C. 1601. decima quinta Augusti nocturno tem-
 pore pluribus in locis aggerem perre-
 perunt. Altera ex parte Bucquojus
 Bredanæ munimentum adversus ho-
 stium eruptiones frequentesque navium
 appulsus firmare aggreditur: ast cum
 ingens esset loci distantia, proin lon-
 ginq̄ & incerti globorum jactus, hinc
 horis omnibus naves quamplurimæ
 prorsus innoxie appellebant, tam raro
 damni periculo, ut ingens hominum
 multitudo sola spectandi cupidine ad-
 vectaretur, ac inter exteros Principes
 præcipue Uricus Dux Holsatiæ Chris-
 tiani Daniæ Regis frater, & ex Angliâ
 Cassalius Notumbriæ Comes otiose
 munitiones omnes non sine magna mi-
 litaris ingenii admiratione Instrarent.
 Nihilominus Bucquojus errore hoc feli-
 citer emendato propugnaculum mari
 vicinius exstruxit, unde inuenta ho-
 stium navigia sine certi exitii periculo
 aditum ad urbem tentare haud pote-
 rant: prætera Archidux exstructo a Fœ-
 deratis securiori receptui confestim ea ex
 parte novum aggerem opponi curabat.

§. XXXI.

*Impressio in urbem a Catholicis in-
 cassum facta.*

Rebus

Rebus cunctis ad expugnationem dispositis die octava Septembris Archidux

Nicolaum Catricium, qui versus occidentem promotus vallo ad urbis fossam appropinquabat, in oppidum cum lecta militum manu irruptionem facere iussit. Mandatum exequitur Catricius magno animi fortitudine, sinistro tamen successu; quippe desideratis suorum quamplurimis ipse Catricius & Bracamontius globi ictibus percussi cecidere, quorum tamen cædem Catholici multo vulnere hostibus inflicto, ac præcipue Henrici Colinii Castillionæi Gallorum Tribuni morte vindicabant; hic enim juvenis Princeps ferrea pala in capite trajectus occubuit, Verrius quoque nec talium malorum immunis graviter faucibatur, qui e castris tamen ad currandum vulnus Zelandiam delatus, inde paulo post Ostendam reversus est. Mense Octobri ferme ad medium inclinante Bucqjus noctis beneficio usus quoddam propugnaculum ponti imminens occupat, dum vero per quemdam militem ad quævis audenda proclivem clam ipsum pontem incendere parat, hostes acerbius laceffiti toto impetu accurrunt, ipsumque propugnaculum recuperant. Denique Albertus Archidux, cum maris impotentius tumentis & reciprocantis æstu validiora etiam

Sæc. XVII.
A. C. 1601.

Thuan. &
Grotius l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1601. machinamenta dejici, hiememque imminere cerneret, habito belli Senatu quid in obsidionis progressu tentandum deliberat, ubi rejectis plurium opinionibus tandem decretum, ex adverso propugnaculi, quod Oppidi Templum tuetur, validum esse construendum munimentum, ex quo adventantia hostium navigia impositis tormentis peti, demergique possent.

§. XXXII.

Sylva- Ducis a Mauritio obsessa.

Galut. l. 14.
Grotius
l. 10. **D**um hisce belli consiliis detinetur Albertus, interim Mauritius Comes Nassovius Fœderatorum Belgarum Gubernator, ut Catholicos ab obsidione Ostendana removeret, die prima Novembris Sylvam- Ducis obsidione cingere parat. Præsidarii milites, quibus Antonius Schetus imperabat, erant numero pauci, cives vero in duas peditum cohortes & unam equitum conscripti ad strenuam urbis defensionem obfirmatum præseserebant animum: nec deerant Magistratus & Sacerdotes, qui cives aliunde haud intrepidus ad fidei Catholicæ & patriæ defensionem proposito Majorum suorum exemplo certatim inflammarent: nihilominus cum tam amplæ civitati propugnans